

riam carni, et sanguini servandam induceret, nisi Deus? Idem quoque S. Doctor alibi contra Faustum hæreticum ita scribit: Sed tot tantosque hæreticum populos, pene jam totos a nefaria superstitione simulacrorum, ad unius Dei cultum Christiano Imperio subjugavit, edomito orbe terrarum, non violentia belli certaminis, sed invictæ potentia veritatis.

Tertium, *Martyrum invicta patientia*; quam Petrus Ribadeneira sic describit: Sæpius quidem Martyres affigebantur in cruce, non tamen semper uno eodemque modo; aliquando enim illos capite sursum erecto, ad imitationem Christi, crucifigebant, frequenter alios, exemplo S. Petri, capite deorsum verso in cruce mori sinebant. Item illos nonnumquam ad humilem quendam suspendebant truncum, ut eisdem tanto viciniore carnicie eos unguibus dilaniare, vel ustulare facibus ardentibus, vel forcipibus ignitis dilacerare commodius possent; illos quoque nonnumquam ex uno dumtaxat pede, sæpe etiam ex ambobus suspendebant, subtus illis ex fetente materia succenso igne, ut illius fumo et ardore suffocati lenta quadam morte contabescerent. Multoties illos ex unico tantum brachio suspendebant, vel ex digito grossiori, et ad laxandas membrorum compages gravissima pedibus pondera alligabant; sæpius etiam ad instar uvularum sub torculari ad mortem usque confringebantur eorum ossa; vel manibus, pedibusque extensis agebantur in rotam, eosque ad rotas acutissimis clavis instructas alligatos, deorsum agebant in præcipitia, vel circumagebant, ut clavi tanto profundius eorum penetrare carnes possent. Ad hæc ordinarium Martyrum tormentum equuleus erat, tale nimirum instrumentum, quod ex ligno instar equi formatum, in capite rotulas habebat, quibus inserti funes Martyrum corporibus alligati, eosdem per brachia retrorsum victos sursum trahabant, ut singula humerorum ossa et suis dimota juncturis dolorosissime laxarentur. Catasta, tabulatum quoddam in edito loco positum erat, unde Martyr conspici ab omnibus videri poterat, in quo sine ulla compassione flagellabatur vel nervis boum, vel nodosis fustibus, aut virgis spinosis, que scorpionis dicebantur; sæpius etiam illorum corpora virgis quatiebant ferreis vel plumbatis, quibuscum eorum corpora tanta cum truculentia dilaniabantur, ut sæpe lictores potius percutiendo fatigaren-

tur, quam verbera excipiendo Martyres. Unde Lactantius Firmianus, Gentiles invincibilem militum Christi in catustis et equalis videntes constantiam, stupefactos et attonitos stetit diei: Inter fatigatos carnicie invictam tenere patientiam, existimant id, quod res est, nec consensum tam multorum, nec perseverantiam morientium vanam esse, nec ipsam patientiam sine Deo cruciatu tantos posse superare. Quibus accedit, quod unguis et forcipibus hinc inde aculeatis ex chalybe dentibus armatis, carnes sanctorum Martyrum dilacerant et frustatim decerpunt; pectibus quoque utebantur ferreis ad dilanianda eorum membra, corpusque hoc modo cruentatum et saucium cultris decoriabant, laminas item ignitas lateribus adhibebant; calci nonnumquam vive, aut ferventi oleo, vel plumbo liquefacto immergebant. Quique hisce tormentis nonnumquam evaserant superiores, bobus includebantur aeneis, ex supposito et continuato igne candentibus; vel lebetibus pice, plumbo, vel alio metallo liquefacto plenis, verubus arele alligata corpora lento igne assabant; vel in caldariis frigeant, galeas ignitas clavibus acutissimis intus plenas, eorum imponebant vertici, calcisque ferreis, puncturis undique plenis, torquebant pedes; candentibus igne fornacibus, vel ferarum latibus includebant; præscindebant linguas, dentes evellebant, eruebant oculos, sudes acutas sub digitorum unguiculis infligebant; excoxiabant vivos, et minutissimas partes sensim conscindebant; eorundem viventium viscera paulatim a muribus et gliribus corrodere curabant; melle delibatos ardentissimis exponabant solis radiis, ut a museis et apibus lente et crudeliter conficerentur; fetentibus cadaveribus aretissima viventium alligabant corpora, eaque sic etiamnum viventia sepeliebant. Uno verbo: « Circumderunt eos mala, quorum non est numerus. » Nunc vero invictam eorum auctoritate constantiam, qua innumerabilem, et crudelissimorum tormentorum istorum carnificina se superiores esse probabant: Latera effodiebant, inquit D. Chrysostomus, carnem deradebant, viscera ipsa et interiora pervadebant; attamen cum cuncta pervestigarent, thesaurum fidei deprædari minime valuerunt. PETR. RIBAD. *apud Mansi*, disc. XIX, n. 3 et 4.

Quantum, *miraculorum confirmantium magnitudo et multitudo*, de quibus egregie Ri-

chardus dixit: Domine, si est error, a te decepti sumus; nam tot et tantis signis confirmata sunt, que non nisi per te possunt fieri. RICHARD. A. S. VICT. lib. 1, de Tr. c. 11. Quod si illa miracula non credunt, inquit S. Augustinus, unum grande miraculum sufficit, quia jam orbis terrarum sine miraculis credidit. An enim inane vel leve videtur, et nullum vel parvum miraculum divinum esse putatis, quod in nomine Christi unius Crucifixi universum genus credit humanum? S. AUG. 1. XXII, de Civ. c. v.

Quantum, *S. Scripturæ auctoritas*: Quid enim hic, inquit S. Hieronymus, non invenitur, quod faciat ad utilitatem, aut ad edificationem humani generis, conditionis, sexus, ætatis? Habet enim hic infans, quod lætet, puer, quod laudet, adolescens, quod corrigat, juvenis, quod sequatur, senior, quod præcuret. Hic discit femina pudicitiam, pupilli invenient pietatem, viduæ iudicem, pauperes protectorem, advena custodem. Hic invenient Reges, quod audiant, Iudices, quod timeant. Hæc tristem consolatur, lætum temperat, iratum mitigat, pauperum recreat, divitem, ut se agnoscat, increpat, nec peccatorem despiciat, sed remedium ei per poenitentiam ingerit. Demum vero, postquam in adeo inestimabilis thesauri laudem varia congressisset encomia, tandem ad propositum nostrum subjungit: Post hæc Deus ostenditur, fides asseritur, perfidia repudiatur, justitia ingreditur, prohibetur iniquitas, misericordia laudatur, crudelitas abdicatur, veritas requiritur, mendacium damatur, dolus accusatur, prædicatur poenitentia, pax sequenda promittitur, spes certa nutritur, et, quod his omnibus est excellentius, Christi Sacramenta laudantur. Vere Sacra Scriptura thesaurus quidam, immo ærarium est, in quo infallibilis illa Altissimi providentia omnes reclusit divina sapientia et scientia thesauros: « In quo sunt omnes thesauri sapientiæ et scientiæ Dei: » In cujus vero manu depositum et concredidit est hoc ærarium, præterquam in manu et sinu Catholice, et Apostolicæ, et Romane Ecclesiæ super Cathedra D. Petri et successorum suorum stabilite et fundatæ? S. HIER. *Proem. in Psal.*

Sextum testimonium et motivum perhibent *multi prius perversi et fidei persecutores*, qui conversi, facti sunt fidei defensores, ut dicit Sanctus Augustinus in libro de *Symbolo*: Et qui alios ad Martyrium trahabant,

postea voluntarii Martyrium suscipiebant, sanguinem Christi fundere prius stiterunt, postea credentes illum biberunt, et suum pro Christo fuderunt. Quam eandem observationem diu ante Rupertus Abbas instituit, insequens: Ipsi terreni principes jugum Christi susceperunt, et ejus, quam prius impugnabant, Evangelicæ fidei vel Christianæ Religionis defensores esse cœperunt. Ad quod stabilendum illa subservire poterit de Samsone historia, qui in Rhamata se conferens, cum Dalila gentili Philistæa sponsa contracturus, in ore a se prius dilacerati leonis favum mellis invenit. Omnia enim in figura contigisse, nemo dubitet. Erat namque ille Nazarenæ Religionis cultor, Christi, qui sibi gentilitatem desponsavit, tytus. Quem vero mellis favum in leonis faucibus ab eo reperit fuisse existimatis? Defensio erat, qua persecutores comprehendit, qui primitus leonum instar rugiebant, furebantque contra fidem Catholicam. BELLOVACENSIS, *Specul. Moral.* cap. 1, dist. XIV, fol. 23. Id quod Sanctus Augustinus contra Faustum Manicheum scribens, aperte attestatur his verba: Quid sibi vult in ore leonis occisi favus extractus, nisi quia videmus leges ipsas Regni terreni, que ante adversus Christum fremuerant, nunc dulcedini prædicationis Evangelicæ munimenta præbere? Unde merito S. Chrysostomus hortatur Christianos: « Luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona, et glorificent Patrem vestrum, qui in cælis est. » Cum enim viderit infidelis, compositum, modestum, oratum esse, miratur, et dicit: Vere magnus Christianorum Deus, quales constituit homines, quales e quilibet fecit. Angelos ex hominibus ipsos reddit. Si quis contumeliam fecerit, non convitiantur; si quis percusserit, non ægre ferunt; si quis injuriam intulerit, pro his, qui se læserint, orant; inimicum non habent, iram servare non norunt, mentiri non didicerunt, pejorare non sustinent, quinimo nec jurare. S. CHRYS. *apud Mansi*, disc. XXX, n. 10.

Septimum, *vis Dæmonum per fidem fracta*; nam, ut Bellovacensis recte dixit, ipsi Dæmones testimonium perhibent pro fide nostra, qui per ejus articulos adjurati, de suis habitaculis expelluntur, secundum quod Dominus prædixerat multipliciter in fine: « In nomine meo Dæmonia ejicient, » quare et Tertullianus, qui idololatra prius, quam Christianus extitit, ex tribus potissimum

motivis se ad fidem nostram amplectendam inductum fuisse proficitur, scilicet ex Christianorum innocentia, ex Scripturarum excellentia, ex Deorum seu Dæmonum importentia. BELLOVAC. *loc. cit.*

Octavum est *vita perversa infidelium, et vita exemplaris Catholicorum*: Discurratis, observe, inquit Mansi, per omnes tam Gentilium, quam Hæreticorum et Mahometanorum sectas, et invenietis, quod a tempore hæcenus durarunt, vix ullum profulerint virum exemplarem, vitæque honesta et perfectione conspicuum, quales Ecclesia in omni ætate, in omni climate, in omni statu, conditione et professione plurimos habuit; porro, teste Aristotele aliisque sapientibus, virtus bonum illud est, in quo beatitudo consistit, hocque bonum a nobis in hac vita comparari potest. Quis autem historias plenas esse nescit facinororum insignium et heroicorum innumerosorum fidelium, qui in gradu sublimi virtutum egregie profecerunt? Idque non alio auxilio, quam divino, quod solum adeo eminentem sanctitatem producere potuit, cum irrefragabilis sit veritas, quod omne datum optimum, et omne donum perfectum desursum est, descendens a Patre luminum. MANSI, *disc. xxiii, n. 6.*

Nonum sunt *pæna persecutoribus fidei illata*, quas fuse recenset Mansi in hæc verba: Herodes, qui primus Christi persecutor fuit, severe vapulavit; nam oculi ejus ex capite prostulerunt, et occisis prius tribus filiis suis, semetipsum tandem desperatus cultro transfixit. Alter vero Herodes, qui S. Jacobum Majorem in Christianæ fidei odium occidit, et ob eandem causam S. Petrum in carceres conjici jussit, ab Angelo percussus, et vivus a vermibus devoratus ex hac vita infelicissime migravit. Nero, qui sanctis Petro et Paulo necem intulit, se a pernicioso conjuratorum consiliis eximere non posse videns, sibimetipsi manus intulit violentas. Domitianus, qui S. Joannem in lebetè ferventis olei adurere decreverat, a suis familiaribus occisus est. Valerianus implacabilis Ecclesiæ hostis à Persis in bello victus Persarum Regi equo insidere volenti, tamquam vilissimum mancipium, scabelli loco servire debuit, postquam ambo ejus oculi illi eruti fuissent. Aurelianus et Decius a suis fuere contrucidati, Diocletianus, qui se tamquam Deum adorari voluit, ad tantam reductus est miseriam, ut Regni Romani diadema deserere, et rusticianam vitam agere coactus

fuerit. Ad similem quoque conditionem dejectus fuit Maximianus, siquidem Maxentius filius ejus, ut thronum patris sibi vendicare et conscendere posset, Roma illum turpiter eiecit, eumque ad Constantinum generum suum confugisset, ab eoque benigne acceptus fuisset, tandem perfidie in Constantinum reus factus infami et ignominiosa morte ab illo occisus fuit. Maxentius pariter filius ejus a Constantino victus, et de eodem ponte, quo æmulum deturbare decreverat, ipse misere in Tiberim precipitatus interiit, adimpletumque fuit regium illud Davidis vaticinium: « Lacum aperuit, et effodit eum; et incidit in foveam, quam fecit. » Maximianus quoque in bello profligatus, ut periculum evaderet, inter agrarios se immiscuit, ubi, posquam intestina ejus emareuissent, a vermibus consumptus interiit, cui hæc patienti in faciem improperatum fuit, miseriam hæc apertam esse divine Justitiæ in ipsum sævientis vindictam, eo quod Dei persecutus fuisset Ecclesiam. Licinius, qui in Oriente regnabat, in prælio cæsus misere occubuit. Julianus Apostata paucis diebus imperium suum finivit, et a sagitta graviter sauciatus sanguinem e vulnere hæstum in aera projecit, dicens: Vicisti, Gallia! Valens Arianus a Gothis stratus, in tugurium quoddam se recepit, in quo ab igne consumptus fuit. Unde S. Thomas de Villanova in concione quadam in hæc verba prorupit: Totus orbis a principio tibi contradixit, sed tu, potentissime, de omnibus triumphasti; hæc est victoria, quæ vincit mundum, fides nostra! *Id. disc. xviii, n. 3.*

Decimum est *Dei auctoritas et veracitas*; nam, ut Sanctus Bernardus recte dixit: Christianæ fidei solus Deus veritatis, immo Deus veritas testis est, quapropter S. Thomas de Villanova fidem testimonio divino debitam accurate ponderans, ita unumquemque interrogat Christianorum: Quid multum facis, o homo, si Deo credis, quamvis ardua et difficilia dicenti? Nonne attendis, quis est, qui dicit? Erubescamus merito, siquidem quotidie personis auctoritate pollutibus in rebus etiam verisimilibus fidem præbemus, vrbæ gratia, dum secreta ab iis audimus naturalia, aut opere, arte, industria, studioque nobis incognito perpetrata? O homo, Regi aut Imperatori sine testimonio credis, et non credis Deo? Deo, inquam, totius Scripturæ Sacræ Auctori; siquidem dum Penta-

teuchum, Sancti Pauli et Sancti Petri Epistolâs, Sancti Matthæi Evangelium, Sancti Joannes Apocalypsim legimus, non scriptoribus, sed horum librorum dictatori, Sacerdoti scilicet Spiritui credimus, fidemque præstamus; ita ut merito omnibus librorum Canoniorum auctoribus dici possit: « Non estis vos, qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri, qui loquitur in vobis. » Ideoque et dictus S. Presul subtiliter observat, Prophetas in vaticiniorum exordio hæc plerumque præmittere protestationem: « Hæc dicit Dominus: Audite verbum Domini etc. » quasi dicerent: Non nobis fidem adhiberi postulamus, non nostra sunt verba, quæ loquimur, sed Dei. Ad quod comprobandum S. Pauli adducit exemplum, qui de Eucharistiæ institutione, cui ipse præsens non interfuerat, tractaturus præmittit: Ego enim accepi a Domino, quod et tradidi vobis. S. BERN. ser. I, in *Quinquag.*

MEDIA.

Oratio frequens et seria, dicendo frequenter cum Apostolis: Domine, adauge nobis fidem. *LUC. xvii, 5.* Cum enim omne datum optimum et donum perfectum (quale vel maxime est fides) desursum sit descendens a Patre luminum, (*JAC. i, 17.*) merito ab illo peti debet hoc donum, dicique cum S. Propheta: Illumina oculos meos, ne umquam obdormiam in morte. *PS. xii, 4.* Hinc hortatur idem Propheta: Accedite ad eum, et illuminamini, et facies vestrae non confundentur. *PS. xxxiii, 6.*

Electio unius aut plurium patronorum, quorum fides magis in hac vita illustris et prospecta fuit, quales, juxta consilium P. Gaspari Tausch, esse possunt, Sanctus Thomas Apostolus, ex incredulo fidei magister effectus; Sanctus Barnabas, plenus fide et Spiritu Sancto; Sancta Thecla, de qua canit Ecclesiâ: *Ut ejus tantò fidei proficiamus exemplo*; Sanctus Gregorius Thaumaturgus, et præcipue Sanctus Petrus Apostolus, ut, sicut Christus pro ipso, ita ipse pro nobis roget Patrem æternum, et Christum, ne deficiat fides nostra; et Sanctus Joannes Baptista, utpote qui missus est a Deo, ut testimonium perhiberet de Christo, diceretque: Ecce Agnus Dei, qui tollit peccata mundi. *In Matræ Sacræ Auctori*; siquidem dum Penta-

Vita bona et virtuosa, præcipue autem frequentiori misericordie exercitio insignis. Sic Sancti tres Magi post dona Christo allata, et fugam Herodis, illuminati sunt. Sic Cornelius Centurio audivit: Orationes tuæ et elemosynæ tuæ ascenderunt in memoriam in conspectu Dei. Et nunc accersi Simonem quemdam, qui cognominatur Petrus, hic dicit tibi, quid te oporteat facere. *ACT. APOST. x, 5.* Pulchrum etiam hujus rei exemplum narrat Baronius de puella Alexandrina, quæ, quia hominem debitis gravatum, ideoque laqueo vitam abrumpere volentem patrimonio suo oblato liberavit, et ipsa a vitæ periculo liberata, et ad fidem mirabiliter producta, statim post baptismum mortua est. *BARON. anno 337, et SOPHRONIUS, in Prælo Spirituali, c. cxxvii.*

Crebrum exercitium in actibus fidei tam internis, quam externis; hinc Sancti Patres monent, ut assiduo Symbolum Apostolorum recitetur; in Superioribus Deus agnoscat, juxta illud Christi: Qui vos audit, me audit; (*LUC. xxx, 16.*) et in pauperibus Christus pascatur et recipiatur; juxta illud: Quamdiu fecistis uni ex minimis, mihi fecistis. *MATTH. xxi, 40.*

Superbia et libidinis detestatio; hæc enim duo vitia sunt Scylla et Charybdis, in quas plerique hæretici et apostatae impacti naufragium fecerunt; ut merito dixerit Ecclesiasticus: Vinum (aut potius superbi spiritus, ex vini immodica sumptione orti) et mulieres apostatatae faciunt sapientes. *ECCLES. xxix, 2.* Ad stipulatur Cassiodorus, dum ait: Tantum crescit calor fidei, quantum subtrahitur fuerit de flamma corporali. *Super. PS. cxviii.*

Fuga curiositatis et præsumptionis in rebus fidei scrutandis; nam scrutator majestatis opprimetur a gloria; e contrario vero sicut Deus abscondit hæc mysteria a sapientibus suæ prudentiæ inmixis, ita revelat ea parvulis, et intellectum suum in obsequium fidei captivantibus, juxta illud Davidis: Declaratio sermonum tuorum illuminat, et intellectum dat parvulis. *PROV. xxv, 27. PS. cxviii, 130.* Hinc recte nonnemo cecinit, in tali casu, una salus fugere est, fideique opponere quantum, uti ex sequenti historia patet, quem Bellarminus refert, scilicet duos fuisse Theologos, inter suos facile principes; horum unus, qui prior e vivis excesserat, alteri superstiti apparuit, quod imprudens nimis et temerarius cum Dæmone de fidei dogmatibus

disputasset, a quo variis captiosarum questionum telis appetitus, victus tandem, protratusque esset, et ut fidei exors, ignibus æternis addictus. Alter alieno malo cautior, diversam, agendi cum Dæmone viam iniiit, percipiant enim, quid de SS. Triadis, quid de Incarnati Verbi mysterio crederet, quo modo in tribus personis eadem numero posset esse essentia, quomodo in unum jungi possent ea, inter quæ nulla affinitas? respondit compendiaro, se credere, quod credit Ecclesia. Querenti, quid illud esset, quod crederet Ecclesia? Quod ego, inquit. Quid tu porro? Quod Ecclesia? Quod ego. Imparatus ad hoc disputandi genere tentator, victus ad oreum rediit, victor et triumphator abiit ad cælum. BELLARMI. I. II, de Ante Mor. c. II.

Fuga hæreticorum, non tantum quoad personam propriam, sed etiam libros, conciones, colloquia, etc. ita S. Cyprianus, dum ait: Nulla cum talibus colloquia miscantur. Simus cum eis tam separati, quam illi sunt ab Ecclesia profugi. L. I, ep. III. Hoc idem S. Antonius suis præcepit in agone dicens: Zelum meum contra hæreticos et omnes veritatis hostes tenete; scitis, quia nunquam illis molliter et pacifice suum locutus. *Vita*. Rationem assignat Florimundus Remondus: Quemadmodum, inquit, nauta litus legentes, etiamsi nihil minus cogitent, quam in altum enavigare, nisi tamen navem in portu anchora firmet, maris tempestate et vi fluctuum sæpe abripiuntur; sic curiosi, qui hæreticorum libros legendos suscipiunt, aut conciones vel colloquia audiunt, nisi firmissimam fidei anchoram in Romanæ portu Ecclesie jecerint, levitatis suæ ventis in errorum, vel etiam impietatis et *Atheismi* abyssum, cum sempiterno animæ exilio propelluntur. L. IV, de Orig. hæc. c. II.

ASCETICA.

De hac nobilissima virtute sequentia bene capere, aliisque inculcare debet Asceta.

Bene apprehendat, quid, et quanti faciendæ sit fides, nempe quod sit lumen præcipuum et supernaturale Spiritus Sancti, in Christiani hominis intellectum infusum, quo fit propensus ad credendum, quicquid Eccle-

sia credi jubet, etiamsi rationes, quibus veritas credendorum innitur, minime perspiciat. Hoc porro lumen tantum esse faciendum in anima, quanti aestimatur lumen oculorum in corpore, ita ut merito dixerit S. Chrysostomus: Fides Religionis Catholice lumen est animæ, ostium vite, fundamentum salutis æternæ. *Super Symb.*

Bene intelligat præcipua duo officia fidei supernaturalis, quorum prius est, hominem perfecte subjicere Deo, ut ipsius instructionem et inspirationem prompto et benevolenti animo suscipiat, juxta illud Patris cælestis mandatum: Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui, ipsum audite. MATTH. XVII, 5. Posterius est, ut mores et vitam nostram ordinet, ne per affectiones inordinatas, aut Dæmonis tentationes abrepti, a Dei lege deviemus. Unde recte Canisius infert, Christianum nosse debere, tum quæ ad Sapientiam (uti sunt tres virtutes Theologicæ, Fides, Spes, Charitas) tum quæ ad Justitiam Christianam (uti sunt, declinare a malo, et facere bonum) pertinent. S. AGG. *Ench.* c. II et III.

Bene addisat, et inculcet, ad quæ objecta extendere se debeat fides divina, vide licet ad sequentia. 1. Ad ea, quæ Symbolo Apostolico continentur, et clarius in Nicæno, et Athanasiano explicantur. 2. Quæcumque Scriptura seu divina, seu canonica complectitur. 3. Quæ ex prædictis duobus fontibus necessario deducuntur. 4. Quæ Spiritus Sanctus per Ecclesiam, sive scripta, sive viva voce credenda proponit. CANISIUS c. I, § 20.

Bene cognoscat obligationem ad credendum, nimirum quod *necessitate quidem mediæ* teneatur quisque Christianus explicite credere, quod Deus existat, et quod inquirentibus se remunerator sit; immo juxta quorundam sententiam etiam mysterium Trinitatis, Incarnationis, et Passionis Christi, animæque immortalitatem. *Necessitate præcepti* vero, Symbolum Apostolorum, præcepta Dei et Ecclesie, orationem Dominicam, et Sacramenta, ac misericordie opera, saltem ea, ad quæ suscipienda vel exrecenda obligatur. *Pedag. Chr.* p. II, c. XXIII, § 2.

Bene apprehendat motiva credibilitatis, qualia a Sancto Augustino et aliis enumerantur sequentia. Consensus populorum; miraculorum frequentia; successio Pontificum continua; Catholice nomen justissimo titulo possessum; Martyrum constantia; Prophetiæ donum; sanctimonia et sapientia

Doctorum et aliorum Catholicorum; conformitas cum Scriptura Sacra, et in articulis fidei. *In epist. contra Manich.* c. IV. De quibus omnibus recte Ricardus sic dicitur: « Utinam attenderent Judei, utinam attenderent Pagani, cum quanta conscientie securitate pro hac parte ad divinum judicium poterimus accedere. Nonne cum omni fiducia Deo dicere poterimus: Domine, si error est, a te ipso decepti sumus. Nam ista tantis signis et prodigiis confirmata sunt, et talibus, quæ non nisi a te fieri non possunt, certe a summa sanctitatis viris sunt nobis tradita, cum summa attestatione probata, teipso cooperante, et sermonem confirmante sequentibus signis. » Lib. I de Trinit.

Bene ponderet, memorieque imprimat aliqua principia, quæ in hac materia ad evitandum omne periculum observanda sunt, qualia a Rosignolio sequentia censentur. Primum est Salomonis: « Altiora te ne quesieris, et fortiora te ne scrutatus fueris; sed quæ præcepit tibi Deus, illa cogita semper, et in pluribus operibus ejus ne fueris curiosus. *EccL.* III, 22. » Secundum: « Fides non habet meritum, cui humana ratio præbet experimentum. » S. GREG. hom. XXV in *Evang.* Tertium: « In quocumque humanarum artium exercitio impossibile est, primum propositionum inquirere demonstrationes. S. BASIL. in *Ps.* cx. Quartum: « In rebus miris, summa credendi ratio est omnipotentia Creatoris. » Aut ut alibi proponit: « Demus Deum aliquid posse, quod nos fateamur investigare non posse. » S. AGG. I. XXI, de *Civ. Dei* c. VII.

Bene indaget et intelligat officium boni Christiani, quod nimirum in genere quidem tria sint, quæ ab eo requiruntur, in corde *charitas*, in ore *veritas*, in corpore *castitas*. In specie vero sequentia suadeantur a *Pedagogo Christiano*. 1. Fuge omne peccatum, præsertim autem mortale. 2. Sint in promptu remedia efficacia contra peccatum, v. g. memoria Dei presentis, Christi patientis, mortis, judicii, inferni, et cælestis gloriæ. 3. Iugi virtutum et bonorum operum exercitio vocationem tuam certam facito. Hinc nihil age, quin bonam intentionem præmittas, aut signum crucis facias. In Dei laudes et gratiarum actiones mane, vesperi, et alias ferventer insiste. Dei Matris, et Angeli Tutelariorum, et aliorum Patronorum opem frequenter implora. Crebro te aqua lustrali asperge. E collo ceream Agni Dei effigiem

suspende. Quotidie, si potes, SS. Missæ sacrificium audi reverenter. Examen conscientie ante somnum accurate facito. Statutos ab Ecclesia festos dies diligenter observato. Sacramenta Penitentiae et Eucharistie frequenter et pie obito. Fidei, spei, charitatis, aliarumque virtutum actus crebro elicito, ac in primis humilitati insistito. Indulgentias lucrari studeto, pro animabus purgantibus crebro orato. Imperata Ecclesie jejunia studiose observato. In orationem frequenter incumbito. Hilari vultu pauperibus elemosynam præbeto. *Pædagog. Christ.* p. I, l. I, § 2.

Bene sibi persuadeat Asceta, *parum prodesse fidem, si opera non conjungantur*; uti recte S. Jacobus indicavit dicens: « Quid proderit, fratres mei, si fidem quæ dicit se habere, opera autem non habeat? Numquid poterit fides salvare eum. » S. JAC. II. Quod confirmat S. Augustinus, ingeniosam quamdam instituentem observationem, dum eam, quæ inter credere Deo, et credere in Deum, versatur, considerat differentiam; dicit enim: Non continuo qui credit ei, credit in Deum; nam et Dæmones credebant ei, et non credebant in eum; et de Apostolis ipsius possumus dicere: Credimus Paulo, sed non in Paulum. Quid est credere in eum? Credendo amare, credendo diligere, credendo in eum ire. Ista ergo est fides, quam a nobis exigit Deus, et non invenit quod exigit, nisi donaverit, quod inveniat; si quidem in ejus dumtaxat gratiæ, auxiliorumque virtute, et non alio modo, nos in divino ejus servitio operari possumus, et mereri, dicente Apostolo: « Non quod simus sufficientes, cogitare aliquid a nobis, quasi ex nobis, sed sufficientia nostra ex Deo est. » Et vero ex ipso etiam fidei nomine colligitur hæc veritas; nam ut idem Sanctus acute advertit, fides appellata est ab eo, quod fit, duæ syllabæ sonant, cum dicitur fides; prima syllabæ est a *facto*, secunda a *dicto*; Interrogo igitur te, utrum credas? Dicit: Credo. Fac, quod dicis, et fides est. Et ideo S. Petrus monet, ne verecundemur, nec erubescamus in occurrentibus necessitatibus nos profiteri veros Christi crucifixi sequaces: Si autem, inquit, ut Christianus, non erubescat, glorificet autem Deum in isto nomine. S. AUG. tr. XXIX in *Joan.*

Deinceps firmiter credat, *cum fides*, juxta S. Bonaventuram, *sit altissimum datum, et omnium bonorum a Deo principium*; et omne

autem donum bonum et perfectum, juxta S. Jacobum, deorsum sit, illud oratione potissimum, et vite immaculate studio obtinendum esse, uti sapienter S. Chrysostomus advertebat: Fides opus habet auxilio Spiritus, ac perseverantia, ut inconcussa permaneat, auxilium autem hoc vite puritate, moribus privatis retineri apud nos solet. Quare si cupimus fidem radicatam habere, vivendi ratione pura nobis opus est, quæ Spiritum retineat, a quo totam fidei vim dependere constat; impossibile enim est, impossibile profecto, si vitam impuram habeas, in fide non vacillare. S. CURYS. ser. XXIII de Verb. Ap.

CONCEPTUS PRÆDICABILES.

De substantia seu natura Fidei.

Ex occasione thematis: « Prudentes virgines apte vestras lampades; » potest quis Christianus prudentibus hęc virginibus comparari, et in prima parte concionis ostendi, quod fides sit lux illa, quam in sua lampade habere debet, utpote sine qua impossibile est Deo placere, et ad cœlestes nuptias introire. In secunda parte ostendatur, fidem non sufficere, nisi oleum bonorum operum, præcipue misericordie, accedat. Possunt propterea Hæretici virginibus fatuis comparari, et Catholici ad constantiam incitari. Vide Fabrum, p. I, in festo S. Thomæ conc. 1, n. 3.

Potest ficta Politicorum fides proponi et reprehendi, et ostendi, quomodo vox quidem sit vox Jacob, (id est, Christiana) manus autem Esau, id est, Hæreticis similis. Afferantur proinde illorum falsa et politica principia (quæ videri possunt in *Manuali Becani* in fine) et solide refutentur.

Potest fides comparari horologio. 1. Quia ex ejus bona constitutione, colligitur status bonus totius communitatis, uti olim Carolus Quintus statum civitatis colligere solebat. 2. Quia sicut in horologio omnes partes et rote concurrere debent; ita in fide omnes articuli ab Ecclesia propositi credi debent. 3. Quia sicut per horologium indicantur horæ, et diriguntur actiones humane juxta cursum solis; ita per fidem Christiani excitantur ad opera, juxta cursum solis justitie, id est, Christi voluntatem, perficienda. Ex-

citentur proinde auditores ad magnam hujus horologii curam gerendam. Videatur Faber, in festo S. Thomæ, con. VII, n. 3.

Potest ostendi præstantia fidei, ex comparatione cum scientia, et 1. quidem probari quod fides longe sit præstantior, quam scientia, quia scilicet magis honorat Deum, est certior, utilior, securior, nobilior. 2. Deduci inde potest, cum eos, qui infusam a Deo scientiam acceperunt, tam felices, atque ad gratias Deo referendas obligatos judicemus, quantas gratias Deo pro infusa fide, utpote longe nobiliori debeamus, cumque gratiæ nullæ sint Deo acceptiores, quam si donis ab eo datis bene ad illum honorem et gloriam utamur, quantopere studere debeamus, ut fidei actus frequenter exerceamus, et per hoc debitum supremæ veritati obsequium exhibeamus. Videatur Faber, in *Auctario*, them. IV, pro festo S. Thomæ.

Ex occasione thematis: « Tota pulchra es amica mea, et macula non est in te, » (CANT. IV); ostendi potest Ecclesiæ nostræ pulchritudo, per enumerationem partium, a S. Thoma et aliis ad pulchritudinem requisitarum. Et 1. quidem quomodo in ea reperitur: *Integritas omnium membrorum*, id est, articulorum et doctrinarum a Deo et Christo manifestatarum. 2. *Amantitas colorum*, id est, bonorum operum et exemplorum, quæ ad fidem certificandam necessaria esse docet. 3. *Proportio partium*, id est, convenientia omnium doctrinarum, quas credi jubet, cum ultimo fine, scilicet cognitione et amore perfecto Dei. Excitandi auditores, ad gratulationem ob talem matrem, quæ ob dictam pulchritudinem æterno et supremo Regi deponsata, hereditatem Regni cœlestis procurare et possit, et velit. Videatur Faber, in festo *Purificationis*, conc. 6.

Comparari potest fides nostra testamento a Christo relicto, in quo nos hæredes Regni cœlestis facit. Pro sigillis septem afferri possunt argumenta credibilitatis, maxime vero septem prædicata et prærogative speciales nostræ fidei, videlicet, quod sit una, sancta, Catholica, Apostolica, miraculosa, antiquissima, invictissima. Pro subscriptione potest Martyrum innumerorum, et ipsius Christi pretiosissimus sanguis copiose profusus applicari. Excitandi auditores ad gratias pro tali beneficio agendas et testamentum hoc illibatum servandum. Videatur Faber, *Domîn.* 6. post *Pascha*, conc. 6. et in festo *SS. Philippi et Jacobi*, conc. 3.

Ex occasione thematis: « Videntes stellam gavisus sunt gaudio magno valde; » (MATTH. II, 10); potest comparari fides cum stella, quæ Magos duxit ad præsepium, et 1. Quidem dici, quod, sicut ista stella fuit *unica*, ita etiam *unica* sit fides, juxta testimonium S. Pauli; Unus Dominus, una fides, unum baptisma. 2. Quod, sicut ista stella fuit valde *clara et fulgens*, ducens ad præsepem, ad Jesum, Mariam et sanctum Josephum, et excitans Magos ad eos adorandos et colendos; ita et fides nostra sit ob lumen cœlestis et sanctitatem suam, clarissima et fulgentissima, impellens omnes ad summam sanctitatem procurandam, debitumque Deo et Sanctis cultum exhibendum. 3. Quod, sicut stella illa tam quoad substantiam, quam quoad circumstantiam apparitionis et directionis, erat plane *miraculosa*; ita et fides nostra sit innumeris miraculis comprobata. 4. Quod sicut stella illa erat *de celo missa*; ita et fides nostra et prædicatores illius, vere de celo saltem mediate per legitimam electionem et successionem sint missi. Unde auditores excitandi ad gratias Deo agendas pro tanto favore ac beneficio, et ut stellam hanc intrepide sequantur, fugiant vero Herodem et assecas illius, id est, hæreticos, ne stella hæc ipsis cum magna eorum tristitia subtrahatur. Serviet ad hanc materiam conc. 8. Fabri in *Fer.* 2. *Pent.* Item conc. 7. *Dom.* 20 post *Pent.*

Potest excellentia et efficacia fidei nostræ ostendi ex occasione thematis: « Nisi signa et prodigia videritis, non creditis; » et comparari fides cum magnete, demonstrando, quomodo ferrum, id est, gentiles obstinatos, et potentissimos quoque principes ad se attraxerit, indeque auditores excitari, ut et ipsi trahi se facile permittant ab ea, maxime cum non nisi ad summam gratiam acquirendam in terris, et ad maximam gratiam comparandam in cœlis, trahat. Quem in finem copiosissimam materiam suggerit Faber, in conc. 6 pro *Dom.* 20 post *Pent.*

De utilitate Fidei.

Potest utilitas fidei demonstrari ex comparatione fidei cum grano sinapis, et 1. Quidem ostendi, quod, sicut granum sinapis minimum est ex seminibus; ita et fides Chris-

tiana minima appareat ex doctrinis, utpote rationi absurda, contraria cupiditatibus, ideoque a plurimis neglecta et contempta. 2. Quod, sicut sinapis granum excrescit in arborem magnam, in qua volucres cœli habitant; ita et fides miris modis per orbem sit propagata, ita ut sapientissimi viri, et summi principes, imo toti populi, ad eam confugerint. 3. Quod sicut granum sinapis caliginem oculorum detergit; sic fides tenebras intellectus depellat. 4. Quod sicut granum sinapis vim ignitam habet, et corpus calore accendit, si quidem comminutum aut contritum fuerit; ita et fides mentem hominum amore divino accendat, si ejus mysteria bene perpendantur. 5. Quod, sicut granum sinapis stomachum et pulmones contra vitiosos humores, caput vero contra malignas qualitates, defendit et purgat; ita fides intellectum et cor hominis a peccatis et erroribus præservet, aut liberet. Uti fusius ostendit Faber, *Dom.* 6 post *Epiph.* conc. 6, et Staplet. them. 2 in *eadem Dom.* Ubi pulchre hæc omnia ex textu S. Augustini probat.

Potest comparari fides turri Davidicæ, ex qua mille clypei pendent, et omnis armatura fortium, et ostendi, quomodo fides defendat contra omnis generis tentationes, et diaboli insidias. Et 1. quidem contra tentationes circa articulos fidei, quod ostendi potest exemplo illius hominis, qui a Diabolo circa fidem tentatus, in agone nihil aliud respondit quam credere se, quod sancta credit Ecclesia, et hanc credere, quod ipse credit. 2. Contra tentationes carnis, demonstrando, quanta tormenta parata sint iis, qui ejusmodi vitii se commaculant. Sic confessarius feminam delicatam convertit, juvenis sapius meminisse sententiæ illius: Subter te sterneret tinea, et operimentum tuum erunt vermes. 3. Contra tentationem concupiscentiæ oculorum, seu divitiarum, revocandam in memoriam illam Christi ad hortationem: Nolite thesaurizare thesauros in terra etc. Item: Facilius est camelum intrare per foramen acus, quam divitem introire in Regnum cœlorum. (MATTH. VI, 19.) 4. Contra tentationem superbiæ, partim exemplum Christi humiliantis se usque ad mortem crucis, ideoque nomen super omne nomen accipientis, Apostolorum nimis honorificatorum, et aliorum Sanctorum; partim sententiam ab eodem Christo prolatam: Qui se humiliat exaltabitur, et qui se exaltat, humiliabitur; (MATTH. XIX, 24.) nobis

pro seuto offerendo. Excitandi proinde auditores, ut in tentationibus ad hanc turrim confugiant.

Ex occasione sententiæ a S. Paulo prolatae: «Galeam salutis assumite, et gladium Spiritus, quod est verbum Dei;» (Eph. vi, 17;) ostendi potest, quomodo militia sit vita hominis super terram, atque adeo is semper gladium in manibus habere debeat. Optimum autem esse verbum Dei, in symbolo Apostolorum contentum, uti S. Petrus Martyr usurpavit. 1. Itaque si quis tentatur pusillanimitate ob inopiam, dicat: Credo in Deum Patrem Omnipotentem etc. et occinat sibi illud Christi: Si vos, cum sitis mali, nostis bona dare filiis vestris, quanto magis Pater vester de coelo dabit spiritum bonum (et panem quotidianum) petentibus se. (Luc. xi, 13.) Nonne dedit manna, coturnices, aquam ex silice Israelitis? 2. Si quis tentatur desperatione, dicat: Credo in Jesum Christum etc. Quis dominus servum suum magno pretio emptum pervicacem faciem suam? An non dixit ille Deus: Nolo mortem impij, sed magis ut convertatur a via sua, et vivat? An non ipse, ut homo, dixit: Venite ad me omnes, qui laboratis, et onerati estis, et ego reficiam vos? MATTH. xi, 23. Dicat ergo cum S. Bernardo: Credo in Jesum, nisi Salvator? Ergo, o Jesu, propter nomen sanctum tuum esto mihi Jesus, et salva me! 3. Si quis tentatur aliqua necessitate auxilij, vel doni impetrandi, dicat: Credo in eum, qui natus est ex Maria Virgine. Meminerit ergo, quod S. Bernardus dixit: Modicum illud, quod offerre desideras, gratiosissimis Mariæ manibus offerre memento, si non vis sustinere repulsam; illa enim audit a Filio: Pete, mater mea, neque enim fas est, ut avertam faciem tuam. 4. Si quis impatientia tentatur, dicat: Credo quod Christus pro me passus sit sub Pontio Pilato etc. Si ergo caput talia tulit, cur non et membrum? Si Dominus, cur non et servus? Si Magister, cur non et discipulus? Nolo vivere sine vulnere, quando video Christum vulneratum. Nec leve hinc solatium capiet, nam, teste S. Gregorio, nihil adeo grave est, quod non æquanimiter toleretur, si Christi Passio ad memoriam revocetur. 5. Si quis tentatur ob contemptum, dicat: Credo, quia ascendit in cœlos; cum prius se humiliaverit usque ad mortem crucis. Qui se humiliat, exaltabitur. Itaque et ego elegi abjectus esse in domo Dei mei.

Ludam et vilior fiam plus quam factus sum etc. 6. Si quis ad peccatum allicitur, dicat: Credo, quia venturus est judicare vivos et mortuos. Fugiant fures, ubi presens est Judex; hinc Sapiens: In omnibus operibus tuis memorare novissima, et in æternum non peccabis. 7. Si quis desolatus est, dicat: Credo in Spiritum Sanctum, meminerit, quia Paraclitus, id est, *Consolator* dicitur, dicat proinde: Consolator optime, dulcis hospes animæ, dulces refrigerium. 8. Si quis tentatur per diffidentiam salutis obtinendæ, dicat: Credo in sanctam Ecclesiam Catholicam, memineritque hanc esse Arcam Noeticam, per quam ab interitu liberantur, quotquot in ea usque ad mortem per fidem formatam perseveraverint. 9. Si quis tentatur ob gravitatem laborum, dicat: Credo in carnis resurrectionem; quod enim est corruptibile carnis nostræ, induet olim immortalitatem; nunc fatigatur, sordidatur, gravatur, sed paulo post summa agilitate, claritate, quiete donabitur. 10. Si quis tentatur alia adversitate quacunque, dicat: Credo in vitam æternam. Non sunt condignæ passionibus hujus temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis. Momentaneum, quod cruciat; æternum, quod delectat. Verbo, verificabitur illud D. Petri: Credentes exultabitis lætitia inenarrabili et glorificata reportantes finem fidei vestræ, salutem animarum. *Epist.* I, c. 1, 6.

Ostendi potest, quomodo juxta dicta Christi: «Beati, qui non viderunt, et crediderunt;» (JOAN. xx, 29.) illi, qui veram fidem corde, ore, et opere profitentur, sint vere beati. 1. In acceptance fidei; quia est liberatio a cecitate spirituali, cujus damna ostendenda, quod scilicet præcipiet in scrobem peccati et inferni, privet gaudium temporali et æterno etc. Item ostendatur magnitudo hujus beneficii ex paucitate, qui eam arripiunt. 2. In usu et exercitio fidei, quia scilicet fides est *scutum* contra tentationes, *myrothecum* contra deliquia animi, et *perspicillum* seu tubus opticus ad cœlestia gaudia consideranda. 3. In remuneratione, quæ maxima est propter difficultatem, diurnitatem, humilitatem.

De modo exercendi et conservandi Fidem.

Ostendi potest, quomodo sit credendum, dicitur pro exordio Deum juxta aliquot

SS. Patres magis diligere adverbia, quam verba; magis enim curare, an *bene* aliquid fiat, quam an bonum fiat; idque vel maxime in fide locum habere. Itaque 1. credendum *Simpliciter*, captivando intellectum in obsequio fidei. 2. *Prudenter*, discernendo credenda a non credendis. 3. *Firmiter*, id est, sine trepidatione aut hesitatione, immo animo etiam ad mortem pro fide subeundam parato. 4. *Tempestive*, non cito nimis, nec nimis tarde. 5. *Explicite*, saltem ubi Ecclesia et Deus præcipit. 6. *Vere et complete*, confirmando opere, quod ore asseritur. Excitetur auditor ad has condiciones implendas, ut sicut ipse per eas se exhibuit liberalem erga Deum, ita ipsum quoque vicissim liberalem experiatur. Videatur Faber, *Dom* 1, *post Pascha*, conc. 4.

Ostendi potest, quibus mediis fides nostra sit propagata, et exinde deduci, quomodo quis Christianus etiam in se fidem augere possit, et debeat, nimirum. 1. Agri bonitate et pinguedine. 2. Seminis efficacia. 3. Imbrium irrigatione, id est, miraculorum auxilio, et gratiæ divinæ. 4. Solis calore, id est, Dei cooperatione. 5. Contrariis ventis et tempestatibus, qui quasi per *antiperistatium*, calorem internum amoris et fervoris pellunt. Vide Fab. conc. 4. in *Dom*. vi *post Epiphaniam*.

Possunt proponi et refutari excusationes, propter quas aliqui horrent suscipere, aut saltem publice profiteri nostram fidem. Quorum. 1. est jactura honoris per *villam* indicata. 2. Dispendium bonorum temporalium per *juga bonum* indicatum. 3. Odium propinquorum, quod incurrerent, per *uxorem* significatum; quæ proinde omnia solide refutare oportet, uti facit Faber conc. 5, in *Dom*. 2. *post Pent.* n. 2.

ALII CONCEPTUS.

Qui ex stultitia contempserunt rectam habere fidem, quamvis honesta vita se ornent, comparantur quodammodo viris ingenua quidem faciei forma, oculis vero errantibus ac distortis. Quibus proinde competit, quod per Jeremiæ vocem ad Jerusalem, Judæorum matrem, dictum est: «Ecce non sunt oculi tui recti, neque cor tuum bonum.» S. CYRILL. ep. in S. *Synod.*

Miles quidam belli aleam tentaturus, primo Minervæ oraculum, ut de exitu futuro certificaretur; consulendum duxit, responsumque tulit: Hilari animo eas, victoriam consequeris. Haec animatus promissione, in campum processit, armatus corpore toto a capite usque ad pedes, scutum sinistra, ensisque portans dextra; in adversam igitur partem huic occurrens inimicus, unum illi, alterumve impetit ictum, neque se vel in minimo tutari conatus est, qui lasus fuerat; quin potius vitæ suæ periculo ingemiscens, elevatis in cœlum oculis, ait: Ubi est deorum fides? Nonne mihi victoriam Minerva promisit? Moxque vocem inaudit, sibi replicantem: Tu quoque cum Minerva manum adhibe, dii enim facientes adjuvant. Ita pariter indubitanter hoc Christiano quidem favet oraculum: Qui crediderit, et baptizatus fuerit, salvus erit. Verumtamen quamdiu in campo presentis vitæ militamus, nequaquam otiosas manus nostras et cingulo suspensas habere debemus, quia Deus facientes adjuvat. MAXS, disc. iv, n. 8.

Matth. cap. xxi, Christus arbori ficus, in qua præter frondes aliud non repererat, maledixisse, eaque subito arefacta fuisse legitur: «Videns fici arborem unam secus viam, venit ad eam, et nihil invenit in ea, nisi folia tantum, et ait illi: Numquam ex te fructus nascatur in sempiternum! Et arefacta est continuo ficulnea.» Circa quam historiam merito querendum venit, cur Christus hanc arborem tanto cum rigore, tantaque cum Apostolorum admiratione punierit? Apud Sanctum Marcum insuper legitur, quod, cum iidem Apostoli una cum Magistro suo mane transirent, viderunt ficum aridam factam a radicibus, et recordatus Petrus dixit ei. *Rabbi, ecce ficus, cui maledixisti, aruit.* At vero quidnam incarnata Sapientia ad hæc verba respondit? Sacer Textus inquit: «Respondens Jesus ait illi: Habete fidem Dei.» Quasi dicere vellet: Hi qui fidem Dei, id est, vivam et veram non habent, merito preparare se debent, ut velut ligna arida in igne infernali perpetuo ardeant. Cui celebris illa Venerab. Bedæ Glossa optime consonat, dicentis: Arefacta Dominus arborem maledictam, ut homines hæc videntes sive audientes, multo magis intelligerent sese divino condemnandos esse judicio, si absque opere fructu, de planu tantum sibi religiosi sermonis, veluti de

sono et tegumento blandirentur viridantium foliorum. Ib. disc. VI, n. 12.

Postquam Deus S. Petrum miracula operandi dono condecorasset, quodnam primum fuisse existimatis opus, in quo eximiam hanc exerevit potestatem? Num forte in eo, quod amissam vultu restituerit vocem et loquelam? Aut quod cæcum visu donarit? Vel mortuum revocavit ad vitam? Minime gentium; sed primum, quod operatus fuit, miraculum fuit sanatio claudi, idque non sine ingenti mysterio, siquidem omnia in figura continebant. Per hoc namque insinuare nobis voluit, quod, dum Jesu Christi nomen et consequenter fidem nostram profiteamur, curandum quoque nobis, ut gressus probe et expedite dirigantur, id est, ut fidei, quam professi sumus, operibus respondeamus: « Apprehensa manu ejus, dixit: Surge, et ambula! » It namque, qui antea claudicaverat, id est, qui veri Dei notitiam non habuerat (de quibus dicitur: « Usque quo claudicatis in duas partes? »); postquam a Deo ejusque ministris erectus est, id est, postquam ad Orthodoxæ pervenit fidei notitiam, eandem quoque operibus comprobare debet, ambobus videlicet pedibus recte ambulando, id est, credendo, et bene operando. Audiamus hæc de re loquentem S. Ambrosium, qui ait: Si Petrus petra est, super quam œdificatur Ecclesia, recte prius pedes sanat; ut, sicut in Ecclesia fidei fundamentum continet, ita et in homine membrorum fundamenta confirmet. Recte, inquam, primo in Christianos pedes curat, ut jam, non imbecillis, possit supra petram Ecclesie, sed robustus et fortis, incedere. Ib. disc. VII, n. 3.

S. Ambrosius, de clavibus Petri nescio quid pulchri ad propositum nostrum scribit, dicit enim: Clavem Petri fidem esse dixerim, per quam cœlos aperuit. Ista autem ipsa clavis, quam fidem dicimus, videamus quem admodum consistit, et solida sit. Arbitror illam duodecim artificum operatione conflata; quoddecim enim Apostolorum symbolo fides sancta concepta est, qui velut periti artifices in unum convenientes, clavem suo consilio conflaverunt. Revera enim fidei symbolum ex semetipso est veluti clavis quedam, qua cœlum aperitur. Quis autem est, qui clavem ad aperiendum id, quod clausum est, ineptam esse nesciat, nisi manibus tractetur, et serræ clause applicetur? Eodem modo ad aperiendam æternæ salutis

viam nihil prodest fides, nisi bonis operibus associetur. S. AMBR. S. de *Jej. Eliæ*.

Observandum est, quod divinus amator sponsæ suæ effigiem delineare volens; ita eam describat: « Dentes tui sicut greges tonsarum, quæ ascenderunt de lavacro, omnes gemellis fetibus, et sterilis non est inter eas. » Septuaginta legunt: « Quæ omnes geminantes, et infecunda non est in eis. » Notandum vero est, quod Sponsus dicat: « Quæ ascendunt de lavacro, » quibus verbis ad Baptismum manifeste alludit, sive ad illos, qui recenter facti sunt Christiani; nam, ut Sanctus Bernardus ait, lavacrum Baptismus est, de quo ascendit, qui ad celsitudinem vitæ perfectioris intendit; descendit autem, qui se vitæ mancipat inhonestæ; omnes gemellis fetibus, quia et verbo pariunt, et exemplo; et sterilis non est in eis, quia nullus est infecundus. MANST. disc. VII, n. 11.

Fortis illa mulier, cujus apud Sapientem fit mentio, Ecclesiam, quæ unice dilecta Christi sponsa est, præfigurabat; de hac autem a Sapiente dicitur: « Omnes domestici ejus vestiti sunt duplicibus. » Quem textum Rabanus in favorem nostrum his verbis declarat: Induti sunt veste duplici, una operis, alia mentis, fidei habentes factorumque velamina, et Sacramentis videlicet sui Redemptoris imbuti et informati exemplis. Ib. disc. VIII, n. 10.

Evangeli sequaces aliquandiu a Judæis Nazareni fuere appellati, quod nomen a Christo in Nazareth concepto suam trahebat originem, de quo scribitur: « Nazarus vocabitur, » quod idem est ac *stardus*; ad de-notandum, quod, sicut flores suam spirant boni odoris fragrantiam, ita quoque sequaces Christi exemplares esse, bonique nominis odorem et fragrantiam edere debent, ut veri Christiani esse agnoscantur. Unde Apostolus dicebat: « Odorem notitiæ suæ manifestat per nos in omni loco, qui Christi bonus odor sumus in eis, qui salvi fiunt. » Ecclesia quoque domus Jacob appellatur. Unde Archangelus de Christo ait: « Regnabit in domo Jacob, » ac proinde hæreditario titulo illam possidet exemplaritatem, de qua Isaac seniculus ait: « Ecce odor filii mei, sicut odor agri pleni, cui benedixit Deus. » Ib. disc. IX, n. 4.

Apostolus ad Romanos ita scribit: « Dico, per gratiam, quæ data est mihi, omnibus, qui sunt inter vos, non plus sapere,

quam oportet sapere, sed sapere ad sobrietatem. » Quæ verba S. Anselmus ad intentum nostrum sequenti illustrat discessu, dicens: « Dico vobis, » id est, precipio, ne inscrutabilia ejus arcana discutere præsumatis. Dico enim per Apostolum gratis mihi datum, omnibus, qui sunt inter vos, non plus sapere, id est, non plus investigare de mysteriis, quam oportet sapere. Non tamen propterea omnis inhibita est hujusmodi inquisitio, sed limitata dumtaxat, et in finem convenientem, licitumque indulta; id quod idem S. Anselmus his verbis docet: Non plus sapere, id est, non plus inquirere de occultis Dei, quam oportet, id est, quam ad fidem et religiosos mores pertinet, sed sapere ad sobrietatem, ut mens eorum non inebrietur, ut sensum perdat nimietate sapientie, dum in his, quæ supra vires humanæ rationis sunt se immerserit, sed moderatio intelligentiæ poculo sobria sit. S. ANS. in c. XII *Rom.*

Eandem doctrinam Salomon confirmans, mellis nimium sumpti adducit similitudinem, inquiens: Sicut, qui mel multum comedit, non est ei bonum; sic qui scrutator est Majestatis etc. quæ verba a S. Gregorio ita ad nostrum invenio explicata intentum: Dulcedo mellis, si plus quam necesse est sumitur, unde deletatur nos, inde vita comedentis neatur; dulcis etiam est inquisitio Majestatis Dei, sed qui plus illam scrutari appetit, quam humana cognitio permittit, hunc ipsa ejus gloria opprimit, quia, velut immoderate mel sumptum, ita perscrutantis sensum, dum non capitur, rumpit. Debitam itaque hoc in exercitio et contemplatione a nobis observandam mensuram a S. Basilio diseamus dicente: Quæ concernunt, diligenter disceat, et sapiat, nihil amplius per curiositatem investigans, quasi diceret: In tantum secreta fidei nostræ mysteria investigare licitum esse, in quantum ex iis fructum in ordine ad bonos mores haurire possumus, non ut nostrum satiemus intellectum. Atque hanc ob causam homines minus scientifici et studiosi, sed præ reliquis devoti et spirituales, ad divinarum mysteriorum intelligentiam vel maxime sunt dispositi, siquidem cognovit hos possessorem suum; simplices magis, quam ingenia alta et perspicacia, suum valent et solent submittere judicium. S. GREG. I. XIV *Mor.* c. XXIX.

Jehu, ad Regnum Israel assumptus, impiamque Achabi stirpem extirpare volens, Jonadab belli ducem ingenti comitatu sitipatu, raraque experientia præditum virum, obvium habuit; quia vero, quam is factionem sustineret, ignorabat, interrogavit eum, et dixit: « Numquid est cor tuum rectum, sicut cor meum cum corde tuo? » Qui cum affirmaret, seque partium Jehu sectatore esse dixisset, subjunxit Rex, dicens: « Si ita est, inquit, da manum tuam. Qui dedit ei manum suam, ad ille levavit eum ad se in currum. » Noster quoque Saluator, qui inimicum infernalem debellaturus venerat, quoniam ipso presente, princeps mundi hujus eieciatur foras, a nobis pariter, an sequaces ejus esse, legemque ipsis profiteri velimus, intelligere desiderat; cui si nos affirmative responderimus, nostram illic postulata manum, id est, dignis nos operibus fidei correspondere jubet: « Da manum tuam. » Tuncque certo sperare poterimus, nos in currum ejus, ut cœlum consequendum, elevandos. MANST. disc. IV, n. 9.

NECESSITAS. — Naas Ammonita bellum indixit iis, qui Jabes Galaad inhabitabant, qui se in angustiis constitutos videntes, pacis tractata disensionem terminandam censeverunt, dicentes: « Habete nos federatos, et serviemus tibi. » Quibus superbus ille: « In hoc feriam vobiscum fedus, respondit, ut erram omnium vestrum oculos dextros. » Circa quam historiam vos ego interrogo, an non, amisso oculo solo dextro, pristinas vires, eundem virorum numerum, priores provisiones sibi reservasset et munitiones? Ita equidem; est oculi dextri carentia eos ad conflictum constituat inidoneos, eo namque destituti, in obscuro, et velut cæci in tenebris, præliari debuissent, si quidem oculum sinistram scutum cooperiebat. Quæ omnia in figura contingebant illis. Ideoque S. Bonaventura fidem oculi dextro assimilians, dictam historiam moraliter ita ad propositum nostrum adducit, dicens: Scutum operit sinistram oculum, et sic, qui non habet fidem, inutilis est ad pugnam spirituales. Naas interpretatur *serpens*, signatque serpentem antiquum, id est, Diabolum, qui nititur eruere oculum dextrum, id est, fidem, ut ad bellum spirituale hominem reddat inutilem. Ib. n. 3.

ÆQUITAS. — Aristoteles, lib. I. *Rhetoricæ*, aliquem verum dicere, tribus potissimum rationibus credi posse, dicit: Nimirum si

talis sapiens, virtuosus et amicus fuerit, si enim sapiens fuerit, de illo confidenter supponimus, quod non erret per ignorantiam; si vero fuerit virtuosus, illum mendaciam penitus abominari æstimamus; si denique amicus fuerit, de illo audacter confidimus, quod nos solita confidentia non sit defraudaturus. Jam vero legalis obsecro omnes illos, qui de fidei nostræ dogmatibus hæcenus libros conscripserunt, certique estote, quod in illis summam vitæ sanctitatem, sapientiam admirabilem, sincerumque veræ amicitiam amorem deprehendetis; quos proinde nos decepsisse, ne suspicari quidem possumus. Quis enim de S. Gregorio, D. Chrysostomo, Sancto Gregorio Nazianzeno, S. Thoma de Aquino, Doctore Angelico, id suspicari audebit? Et sic de aliis discurrere licebit, quorum multi præter assidua litterarum studia, insuper dono prophetiæ, revelationibusque et apparitionibus cælestibus, a Deo fuere illustrati. Ib. disc. XVI, n. 6.

UTILITAS. — Christus Petro divinitatem ejus profitenti: « Beatus es, inquit, Simon Bar-Jona, quia caro et sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus qui in cælis est. » Ita enim beatus quicumque Christianus, si modo fidelis, si Simon, id est, obediens, atque in captivitate redigens intellectum in obsequium Christi, si Bar-Jona, filius columbæ, Ecclesiæ; beatus ergo quicumque est ejusmodi, sicut beati omnes, qui non videntur, et crediderunt! *Pædag. Christ.* p. II, c. XXII.

FIRMITAS. — Aptissime proposito nostro inservit observatio quedam, quam in Annalibus Ecclesiasticis facit Eminentissimus Cardinalis Baronius, quod scilicet incarnata Sapientia Petro dixerit: « Tu vocaberis Cephas, » ubi in lingua quidem Syriaca est Cephas, sed in latino legitur *Petrus*. Et licet neutra ex hisce dictionibus, qualis sit petra, sufficienter exprimat, non tamen quamlibet petram illum esse dixit, sed quæ sit omnium durissima, nempe cautem. Nimirum hic Apostolorum Princeps instar cautus, omnibus se exurgentibus procellis opponere debebat, quæ in progressu sæculorum Ecclesiæ naviculam adorituræ erant, ac proinde pro corpore emblematis assumptus fuit scopulus seu cautes marina, quæ procellosas maris undas robore suo frangit, cum tamen ipsa minime fracta stabiliter perseveret, cum hæc emblematis subijuncta sententia: « *Frangit,*

non frangitur. » Unde D. Chrysostomus ait: Supra Petram statutus est fidelis, propterea et undarum icibus inexpugnabilis est. Id ipsum diebus nostris sæpius accidisse novimus, et ad finem usque mundi infallibiliter eveniet. Ad hunc scopulum, ad hanc fidei Catholicæ Romanæ petram, omnes persecutionum a Paganis, Mahometanis, Hæreticis, Schismaticis, aliisque ejusdem farinae facibus molarum, unde allidentes, contractæ semper fuerunt, et dissipatæ; nam, ut in lib. II Esdræ dicitur: « Super omnia vincit veritas. » Et S. Joannes ait: « Hæc est victoria, quæ vincit mundum, fides nostra. » MANSI, disc. XVIII, num. 2.

MISCELLANEA.

QUALITAS. — Servus Abrahæ in aures ad ornandam Rebecce, sponsæ domini sui, faciem suspendit, et armillas posuit in manibus ejus; ut per hoc significaretur, non solum fidem quæ per in aures significatur, sufficere ad animæ pulchritudinem, sed etiam armillas, id est, opera, velut manuum ornamenta, necessaria esse.

Plinius senior dum incendium montis Vesuvii in Campania indagare voluit, erumpente interim flamma, et igneam quasi fluvium evomente, ab eodem oppressus et suffocatus est. Sic scrutator Majestatis opprimetur a gloria.

NECESSITAS. — Meliora sunt ubera tua vino, dicit Sponsus ad Sponsam, quia fides, quæ per lac uberum significatur, eo quod (sicut lac oculis clausis sugitur, aut certo non videtur; ita et ipsa sine ulteriori examine assentiat articulis fidei) præstantior, gratiorque est Deo quam scientia, per vinum, quod videtur, dum bibitur, significata.

Pharao clamanti populo dixit: Itæ ad Joseph, et quidquid dixerit vobis, facite. GEN. xli, 55. Non ergo satis est ad verum Joseph Christum per fidem ire, nisi etiam id, quod ille præceperit, executioni mandentur; neque enim solum credentibus, sed etiam obedientibus sibi, causa salutis æternæ factus est, teste Apostolo. HEB. v, 9.

Olim præcepit Deus primogenitum ovis cum vellere offerri intonso, (DEUT. xv, 9;) ut significaret, non sufficere fidem, quæ inter virtutes est primogenita, sed etiam opera fidei in hærentia esse jungenda.

Professio Fidei.

Germani eos, qui a castris discedebant, suspensio olim damnabant; Xerxes in crucem adigebat; Athenienses abscisso pollice, faciem candenti ferro disungebant; a Scipione Africano bestie; a Ludovico Imperatore oculorum effossio; ab Henrico VII Imperatore membrorum per equos distractio decrenebatur. Quid Christus faciet a sua fide, velut vexillo discedentibus?

Pythagoreis satis erat Magistri sui auctoritas, ita ut pro fortissimo assensus sui motivo non horrerent illa sola verba: « Ipse dixit, » allegare. Cur auctoritas supremæ et infallibilis veritatis tantum roboris apud Christianos non habeat?

Martyrum, qui sanguinis effusione fidem professi sunt, tanta est multitudo, ut S. Hieronymus dicit, non esse diem per annum (exceptis Calendis Januarii, in quibus Gentiles religione aliqua ducti, sanguinem non effundebant) in quo non posset numerus quinque millium (alii plura numerant) et ultra adscribi Martyrum. (*In quadam epist.*) Scribanus non horruit dicere in novo Testamento plures fuisse occisos Martyres, quam pecora in antiquo. (*In Christo patiente.*) Una Roma spectavit plura, quam trecenta millia Martyrum, quorum centum octoginta millium sacras exuvias servat Callisti Cœmeterium. Ex summis Pontificibus viginti septem continuata serie numerantur, qui pro fide mortem oppetierunt. BOZIUS de signis Eccl. l. VII, Signum. XIX, c. v, n. 3 et 4. Sub Sapore Rege uno tempore sexdecim millia. Sub Djoeletiano viginti millia in templo, tanquam ara una occisa sunt. Ægyptus sub Maximiano centum quadraginta octo millia dedit. Sed et nostro hoc sæculo in Japonia, ab anno 1612 usque ad 1637, plures octingentis occisi sunt. *Pædag. Christ.* p. II, c. XXIII, § 4.

Tertullianus de Hæreticorum miraculis sic scribit: Agnosce maximam virtutem Hæreticorum, quia Apostolos perversum in modum emulantur; illi enim de mortuis vivos suscitabant, isti de vivis mortuos faciunt. Lib. de *Prescript. Hæc.* Sic Baronius scribit, Episcopum quemdam Ariano 40 aureos cuidam dedisse, ut se cæcum fingeret, opemque ab eo exposceret; sed dum hoc facit, revera excecatus esse. *Annal.* tom. VII, an. 385.

Simile quid S. Gregorius Turonensis de Cirola Episcopo Ariano narrat, qui tamen ob id Catholicus factus, cum ad Catholicorum opem confugisset, audivissetque: Si credis, omnia sunt possibilia credenti, facta super oculos cæci cruce, dicensque: In nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti veri Dei, quem trinum in uno æqualitate confitentur Catholici, aperi oculos; curavit eundem, visumque restituit. *De gloria Conf.* c. XII et XIX.

M. Joannes Avila dicebat, plerosque homines altero duorum carcerum dignos esse, scilicet inquisitionis, si non crederent, aut stultorum, si crederent, et non juxta ea, quæ credunt, vivant. GASP. TAUSCH. in *Matre doloros.* l. II, c. 1.

UTILITAS. — Ecclesiasticam Sapientiam caelestem sic loquentem introducit: Ego quasi terebinthus extendi ramos meos, et rami mei honoris et gratiæ. ECCL. II, 27. Quæ verba non male a Stapletono fidei virtuti accommodantur. Ut enim terebinthus, quæ in Syria et Palæstina crescit, excelsa admodum arbor est, pyramidis in modum fastigio desinens, frondosa valde et perpetuo viridis, ita ut pari latitudine et ambitu frondes excreseat, nec quidquam inæquale cernatur; ita fides solum, quæ sursum sunt; sapit et quarit, et frondes, id est, opera gratiæ divini multum meritoria, multumque etiam hominibus accepta producit, sub quibus animæ sanetæ suaviter requiescant. *Dom. 6, post Epiph. them. 2.*

S. Augustinus dicit, fidem esse *Radiceem* omnis bonæ actionis; *Ocubum*, quo sanctæ actiones in Deum dirigantur; *Gubernaculum*, quo voluntatis nostræ navicula ad portum charitatis appellit. APUD PANNÆO. l. I, c. II, *Isagog.*

AUCTORES.

Pædagogus Christianus Philippi d'Outreman. p. II, c. XXIII.

Petrus Canisius, in *opere Catechetico majori*, c. I.

Ludovicus Granatensis, in *vno Catechismo in Symbolam fidei*, lib. 2 tolo.

P. Bernardinus Rosignolius, de *Disciplina Christiana perfecta*. l. III, c. IV.

Ludovicus de Ponte, tom. I, de *Perfecta*. tract. I, c. VII, VIII, IX.

- Gasparus Tausch, in *Matre dolorosa*, l. II, c. I.
 Joannes Busæus, in *Viridario*. V. Fides.
 Nicolaus Causinus, in *Aula sancta*, lib. III, c. IV.
 Jeremias Drexelius, in *Rosis selectis*, p. I, c. IV.
 Petrus Sanchez, in *Regno Dei*, p. IV, c. III.
 Petrus Pennequin, in *Isagog.* l. I, c. I et II.
 Joseph. Mansi, *Bib. mor.* tr. XXIX.

FORMA.

QUOD ESSENTIAM.

DEFINITIO. — Est recta membrorum proportio, decenti colore superfusa. Velut Cicero vult, est apta figura membrorum coloris quadam suavitate. *Cic.* IV, *Tusc.*

Unde tria, juxta aliquos, requiruntur ad Formam. 1. Integritas membrorum. 2. Eorumdem inter se conveniens proportio. 3. Colorum, rubiendi præcipue et albi, grata et amena permixtio.

EX S. SCRIPTURA.

QUALITAS. — Fallax gratia, et vana est pulchritudo. Mulier timens Deum ipsa laudabitur. *Prov.* XXXI, 30.

Non laudes virum in specie sua; neque spernas hominem in visu suo. *Eccl.* XI, 2.

Quorum si specie delectati, deos putaverunt, sciant, quanto his dominator eorum speciosior est, speciem enim generator hæc omnia constituit. *Sap.* XIII, 3.

UTILITAS. — Specie tua et pulchritudine tua intende, prospere procede, et regna. *Ps.* XLI, 3.

DAMNUM. — Non concupiscat pulchritudinem ejus (mulieris) cor tuum, ne capiaris nubiis illius. *Pr.* VI, 25.

Ne circumspicias speciem alienam; propter speciem mulieris multi perierunt, et ex hoc concupiscentia quasi ignis exardescit. *Ec.* IX, 8.

Speciem mulieris alienæ multi admirati, reprobi facti sunt. *Ibid.* 17.

Species decepit te, et concupiscentia subvertit cor tuum. *Dan.* XIII, 35.

EX SS. PATRIBUS.

QUALITAS. — Pulchritudo corporis, bonum Dei donum est; sed propterea id etiam largitur malis, ne malum bonum videatur bonis. *S. Aug.* I. XV *de Civit. Dei.*

Cur tu vultus pulchritudinem magis in conjugio, quam morum requiras? Placeat uxor honestate magis, quam pulchritudine; illa eligatur, quæ Saram referat. *S. Amb.* I. I *de Virg.*

Non possumus reprehendere divini Artificis opus, sed quem delectat corporis pulchritudo, multo magis delectet illa venustas, quæ ad imaginem Dei intus est. *Ibid.*

Pulchritudo corporis et senectus in uno habitare non possunt. *S. August.*

Pulchritudo bonum Dei donum, nostro abusu fit malum. *Id.* I. II *de Nupt.* c. III.

Decor animæ duplex, innocentia et humilitas. *S. Bern.* *super Cant.* serm. XXV.

Ornatam corporis Sancti contemunt, solum animæ decorem querentes. *Id.* *ibid.* serm. XXVI.

DAMNUM. — Audivi multos dicentes, quod multi etiam apud lapides et statuas (formosas) aliquid passi sint. Quod si tantum valuit dura effigies, quantum operabatur insaniam in effigie pulchra tenerum corpus? *S. Chrys.* s. *contra Concubin.*

Semel species formæ cordi per oculos colligata, vix magni luctaminis manu solvitur. *S. Hieron.* in cap. III.

Pulchritudo etiam robustos homines plerumque subigit. *Thren.*

Aspectus formosorum adeo est potens, ut ferrum, virtutemque molliat. *S. Isidor.* *Pet.* l. II, ep. cccxxvi.

Plerumque in adolescentium corporibus nescio, quo modo ætati illi naturalis coloris decore quidam efflorescit, in quem qui inspererint, ii libidinum plerumque stimulis solent pervereri. *S. Prosper.* I. II *de Promiss.* c. XII.

Si vir vel mulier se ornaverit, et vultus hominum ad se procuraverit, etsi nullum inde sequatur damnum, judicium tamen præfatur æternum, quia venenum attulit, si fuisset qui biberet. *S. Basil.* ap. *Lanzic.* opusc. II, c. II.

Delet picturam Dei mulier, quæ vultum suum materiali candore oblinat, quæ exquisito candore perfundit. *S. Hier.* in *Epist.* *S. Amb.* in *Hep.*

EXEMPLA.

Christus tanta pulchritudine præditus fuisse dicitur, ut, qui eum in terris commorantem vel unico momento intuebatur, amore ejus totus incensus, omnibus spreitis traheatur. *ENGELG.* in *Festo Epiphaniæ.*

B. Virginis tanta erat in vultu majestas et decor, ut S. Dionysius Areopagita confessus sit, se eam pro Dea habiturum fuisse, nisi per Catholicam fidem, unicum dumtaxat Deum esse, didicisset. *S. Dion.* *Vita.*

Rebecca tam excellenti erat specie prædita, ut Isaac sponsus illius, dolorem, quem ex morte matris maximum sane acceperat, per illius desponsationem temperaret. *Gen.* XXIV, 67.

De Absalone testatur sacra pagina: Porro sicut Absalon vir non erat pulcher in omni Israel, et decorus nimis; a vestigio pedis usque ad verticem non erat in eo ulla macula. Et quando tondebat capillum, ponderabat capillos capitis sui ducentis siclis pondere publico. *II Reg.* XIV, 25.

Judith tantum a Deo splendorem obtinuit, ut incomparabili decore omnium oculis appareret. *Judith* x, 4.

Esther erat formosa valde, et incredibili pulchritudine omnium oculis gratiosa et amabilis videbatur. Et adamavit eam Assuerus plus, quam omnes mulieres. *Esther.* II, 15.

Joanna Lusitanæ Princeps, filia Alphonsi Regis, tam formosa erat, ut miraculum pulchritudinis passim vocaretur, multique Princeps suos pictores mitterent, qui eam depingerent, qui tamen ipsi licet artis suæ peritissimi, fatebantur, nulla artis industria Joannæ venustatem posse adæquari. Feruntque Ludovicum XI, Galliæ Regem, ubi effigiem ejus vidit, in genua provolutum, Deo grates egisse, quod tam formosam in terris divinæ pulchritudinis imaginem licuisset intueri. *ENGELG.* in *Festo S. Dorot.* § 2.

Formæ defœdatio et contemptus.

Lucia virgo, S. Domini alumna, cum a viro nobili ob oculos se tantopere amari audisset, amos eruit, et amasio mittens, effecit, ut oculos suos vanitati clauserit, et veritati aperuerit. *Id.* in *festo S. Joseph.* § 1.
 S. Brigitta, inter Scotiæ puellas pulcherri-

ma, cum a mille precibus ad nuptias expeti se adverteret, Deum rogavit, ut aliquo corporis vitio formam fœdaret, effecitque, ut mox, unum oculum perdidit fœdo ulcere percussus. *Ibid.*

Angela de Trinitate, Carmelitana, cum ob formam a variis expeteretur, faciem aqua imbutam soli exposuit, ut a sole nigredinem contraheret. *Ibidem.*

Francisca Gudel, Sanctimonialis, cum e supellectili sacra Phrygioni concinnandum quidpiam tradens advertisset, eum ad niveas manus suas intentum obstupescere, non destitit prius manus pieco liquore perfundere, quam pieci reddidisset simillimas. *Ibidem.*

S. Liberata seu Wilgefortis Regis, Lusitanæ filia, cum matre mortua, patrem sensit in suam formam ardere, barbam a Deo precibus impetravit, dirisque ideo tormentis excarnificata et in crucem affixa est. *Ibid.*

EXEMPLA PROFANA.

QUALITAS. — Etsi Xerxes in suo exercitu habuerit quinquagies bis centum octoginta tria milia hominum, ex omnibus tamen ille et stature proceritate, et formæ venustate præstantissimus fuit. *Herodot.* apud *Beirlock.* V. *Forma.*

Augustus Cæsar per omnes ætatis gradus tam amabili vultus venustate præditus erat, ut quidam e primoribus Galliæ, qui eum in transitu Alpium per simulationem colloquii præcipitare volebat, solo ejus aspectu a facinore se absterritum fateretur. *Ibidem.*

Maximus junior tam amena fuit facie, ut caput ejus etiam post mortem pulcherrimum videretur. *Ibidem.*

Sisigambis, uxor Darii, nulli ætatis suæ femine pulchritudine cessit, teste Curtio, quam tamen Alexander, victo Dario, non solum non violavit, sed et ne quis alius illi illuderet, summam curam adhibuit. *Ibidem.*

Snavilda, Regina Daniæ, tante fuit pulchritudinis, ut cum vincula loris exposita esset equinis calcibus conculcanda, ipsamet jumenta horrore conceperint, atque ab ea calcanda abstinuerint. *Ibidem.*

Pythagoras Philosophus tam formosus fuit, ut illum discipuli opinarentur Apollinem esse, qui ex Hyperboreis venisset. Cum nudatus aliquando esset, femur ejus aureum apparatusse fama est. *LAERT.*